

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 8670

**Auteur(s) :** Jean Ier, Alençon (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1171, juillet-1191, 24 février]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

CHARTRE DE JEAN COMTE D'ALENÇON, BARON DE SONNOIS, ETC., FILS DE GUILLAUME COMTE DE PONTTHIEU. — Jean, fils et successeur de Guillaume III, confirme après la mort de son père, les donations dont l'abbaye de Perseigne avait été enrichie. Il ajoute aux possessions du monastère, ses terres dépendant du vieux fort à Neufchâtel. Il reconnaît sommairement et approuve les privilèges et les exemptions dont l'abbaye est favorisée.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° III, p. 10-12.

## Dissertation critique

Jean Ier succède au comte d'Alençon à son père Guillaume III Talvas (mort le 29 ou 30 juin 1171) et meurt le 24 février 1191.

La liste des témoins est sans doute ajoutée d'un acte (ou des actes) de Guillaume III Talvas (Guillaume de Passavant, évêque du Mans, 1142-1186 ; Gérard II, évêque de Sées, 1144-1157 ; Richard, abbé de Savigny, 1154-1158 ; Raoul, abbé de Saint-André-en-Gouffern, 1143-1162, etc.).

Texte d'après a

Ego Johannes filius Willermi comitis Pontivii notum fieri volo presentibus et futuris nos pro anime predecessorum atque successorum meorum salute dedisse, ratificasse et presenti charta confirmasse in puram et perpetuam eleemosynam, liberam et quietam, Deo et Beate Marie de Persenia et ejusdem loci conventui, quecumque jam ipsis a Guillermo patre meo in dotis nomine vel quomodocunque concessa fuerunt, nihil nobis super iis omnibus retinentes nisi preces et orationes monachorum ibidem Deo servientium eorumque successorum. Atque in primis locum in quo prefatum monasterium situm est. Locum qui vocatur Sanctus Jacobus cum pertinentiis suis. Totam terram de Altanoisya cum pratis et pertinentiis suis. Juxta Novum-Castellum vineam meam et terram que vocatur Ragoneria cum pratis et pertinentiis suis. Molendinum de Britesca et stannum ejusdem molendini. Et terras que Lande nominantur. Apud Roelers prata que sunt a fosseio sicut rivulus, qui vocatur Rugemmar, circuit usquequo recipitur in Sartam et eandem Sartam in proprio dominio ad piscandum, ab illo scilicet loco quo predictus rivulus in eam descendit usque ad predictum fosseium. Et juxta eandem villam tres sexteras terre. Et in omnibus forestis meis pasnagium porcorum suorum et omnium animalium suorum, pasturam et usagium ad omnia eis necessaria. Terram Montis-Populani cum pratis et pertinentiis suis. In villa Alentyonis dedi eis burgensem unum cum omnibus suis, Willermum nomine, pro suis negotiis agendis et heredem ejus illum scilicet qui domum ejus possidebit. Totam

haaiam veteris leurcii cum appendentiis et pertinentiis suis, sicut latior via vadit ab abbacia usque ad semitam signis et crucibus signatam et sicut eadem semita ducit ad rivulum qui dicitur vetheri et ab eodem loco ubi scilicet ipsa semita sociatur rivulo, quicquid idem rivulus circuit usquequo recipitur in aquam que venit ab abbacia cum terra Hay. Preterea concessi et confirmavi eis terram quam Olivarius de Oseio et Radulphus Viarius dederunt eis apud Malaphiam. Necnon locum ipsum Malaphie cum bordis, terris, pratis, nemoribus et omnibus pertinentiis suis usque ad cheminum quod tendit de Sancto-Paterno versus Larreium et ultra sicut borde predictae extenduntur in longum et latum juxta Calceiam et circa cheminum per quod itur de Uncinis apud Alentyonem, et sicut dicte borde consistunt in terris et pratis. Locum qui vocatur Buignon quem, concessu patris mei, dedit eis Hubertus decanus cum terris et pratis ad eundem locum pertinentibus sicut ipse tenuit. Locum etiam de Clarofonte quem monachi de Sagio dederunt eis in eleemosynam cum terris et pratis sicut ipsi tenebant. Ista omnia et illa que per Dei gratiam aut eleemosynam aut propria emptione jam acquisierunt de baronibus, et aliis hominibus meis sive in posterum, Deo propitiante, adepturi sunt, in perpetuum libere possidenda eis concedo. Et ne domus Dei aliqua pravorum malignitate valeat perturbari, omni qua possum autoritate decerno atque precipio quatinus predicta abbacia cum omnibus grangiis et locis ad ea pertinentibus ab omni terreno servitio et ab omni prava consuetudine sit libera. Nullusque in ea nec in locis ejus prandium, hospitium sive prebendam vel rem quamlibet aliam improbe et quasi hereditario jure requirat, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Fratres etiam ejusdem loci et proprii famuli eorum cum suis propriis rebus absque omni tributo liberum transitum habeant et absque omni venali consuetudine sive exactione que sibi necessaria fuerint vendant et emant per totam terram meam. Hujus nostre concessionis atque confirmationis testes sunt : venerabilis Willermus cenomanensis episcopus et Giraldus sagiensis episcopus, Richardus Savigneiensis abbas, Radulphus abbas monasterii Sancti Andree, Petrus abbas de Buxeria, Albondus abbas de Domo Dei, Willermus abbas de Tyronello, Radulphus d'Ahilensis abbas, Hugo de Merlayo filius comitis, Robertus de Nuilleio, Paganus de Masodavid et Gervasius frater ejus, Odo de Ailleriis, Odo de Clincampo, Galterius Esperver, Philippus de Merlaio, Hugo de Poceio, Hamericus de Logeis et multi alii quos tacemus.